

Johann Fecht

Decanus Facultatis Theologicæ In Universitate Rostochiensi Joannes Fechtius, D. Et. Prof. ... Ad Summe Reverendi Et Celeberrimi Viri, Joannis Nicolai Quistorpii, Doctoris Et Professoris Theologi ... Viri De Publico Incomparabiliter Meriti, Cohonestandum Ad Diem III. Septembris cl lccxv. Funus, Omnes Singulosqve Curiaë, Academiaë, Urbis Qve Cives ... Invitat

Rostochi[i]: Weplingius, 1715

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770299725>


Druck Freier  Zugang




Fecht, J.,
in
J. N. Qvistorp.

Rostock. 1715.

52.





103

DECANUS
FACULTATIS THEOLOGICÆ
IN UNIVERSITATE ROSTOCHIENSI
JOANNES FECHTIUS,
D. ET PROF. CONSILIARIUS CONSISTORIALIS ET
DISTRICTUS ROSTOCHIENSIS SUPERINTENDENS,
TOTIUSQUE ACADEMIÆ SENIOR,

AD
SUMME REVERENDI ET CELE-
BERRIMI VIRI,

JOANNIS NICO-
LAI QVISTORPII,


DOCTORIS ET PROFESSORIS THEOLOGI, ECCLE-
SIARUM ROSTOCHIENSILUM SUPERINTENDENTIS ET PASTORIS
AD ÆDEM D. NICOLAO SACRAM,

VIRI DE PUBLICO INCOMPARA-
BILITER MERITI,

COHONESTANDUM AD DIEM III. SEPTEMBRIS clj lcccxv.

FUNUS,

OMNIBUSQUE CURIÆ, ACADEMIÆ, URBISQUE CIVES,
ET, QVA PAR EST, OBSERVANTIA ET HUMANITATE
INVITAT.



ROSTOCHI,

Literis JOH. WEPPLINGII, SERENISS. PRINC. & ACAD. Typogr.

144

DECANUS

FACULTATIS THEOLOGICAE

IN UNIVERSITATE ROSTOCKENSIS

JOHANNES RECHTUS

D. I. P. PROF. CONSILIARIS CONSISTORIALIS ET

DISTRICTUS ROSTOCKENSIS SUPERINTENDENS

TOMAS ACADEMIAE SENIOR

SUMME REVERENDI ET CETERA

BERRIMI VIRI

JOHANNIS NICO-

LAI QVISTORPI

DOCTORIS ET PROFESSORIS THEOLOGICAE ECCLESIAE

STABILI ROSTOCKENSIS SUPERINTENDENTIS PASTORIS

AD REGEM G. NICOLAUS SACRAM.

VIRI DE PUBLICO INCOMPARA-

BILITER MERITI

CONSTITUTUM AD DIEM SEPTEMBERIS MDCCXXV

HUNUS

OMNIBUS QUI CURIA ACADEMIAE ROSTOCKENSIS CIVIS

CONSTITUTUM AD DIEM SEPTEMBERIS MDCCXXV

EVANGELIUM

ROSTOCKI

IN AEDIBUS UNIVERSITATIS ROSTOCKENSIS



Unus vobis indico,

Lectores, tale, tantumque, quale quantumque neque, unquam, neque majores vestri intra integrum seculi lapsus vel vidistis, vel videre potuistis. Exortum est centum propemodum abhinc annis

sacrum QVISTORPIORUM nomen, quod Ecclesiam admirando successu perpetuo rexit, Academiam doctrinae exemplique sanctitate exornavit, patriae hujus nostrae famam scriptis & operibus ad feram posteritatem propagavit, neque quidquam unquam intermisit, ex quo decus eidem accedere vel ad crescere incrementum posset. Non illustrius eidem unquam illuxit lumen. Non ex affectu hoc pronuncio, quamquam QVISTORPIORUM mihi nuncupatio auro perpetuo pretiosior fuerit. Novit hoc civitas nostra, novit Germania, novit eruditus, qua patet, orbis. Is, qui ex QVISTORPIORUM gente oculos nunc clausit, quemque ad tumbam inter innumeras lacrymas comitabimur. JOHANNES NICOLAUS est. Natus is hic est Rostochii ipso salutaris Epiphaniae festo anno superioris seculi quinquagesimo primo. Parentem nactus est rarioris nominis famaeque Theologum, colendo promovendoque pietatis studio admirando prorsus exemplo deditum. Quippe cujus praecipui labores in eo fuerant occupati, ut non cerebrosam illam, quae in labiorum professione consistit, externisque

A 2

gesti-

gestibus DEI divinorumque reverentiam mentitur, pietatem, veritatem sacrorum dogmatum susque deque habentem, quam Pietissimum hodie vocamus, sed seriam divinæque veritatis regulis conformem, ecclesiæ cum primis ministris, à quibus ad auditores non verbis tantum, sed reipsa quoque promoveretur, quotidiano labore nisi que commendaret. Erat hic JOANNES QUISTORPIUS II. Doctor hic & Professor Theologus Publicus, ad Divi Jacobi Pastor & Facultatis Theologicæ ut & Collegii Professorum Senatorii Senior, Reverendique Ministerii Rostochiensis Director. Cujus quanta fuerint in ecclesiis curæ ipsius commissas merita, complurima ipsius scripta, eaque cuncta ad praxin directa, ad hodiernum usque diem testantur. Mater ipsi contigit SOPHIA SCHARFFENBERGIA, Matriona & generis decore & omni virtutum splendore conspicua. Avum paternum habuit JOANNEM QUISTORPIUM I. Theologiæ pariter Doctorem & Professore, ad D. Mariæ Pastorem ac Superintendentem Rostochiensem, Facultatis suæ, dum viveret, Seniorem. Erat grandis hic Theologus post DAVIDEM CHYTRÆVM primus, qui famam felicitatemque hujus Academiæ ad summum quasi fastigium provexit, quo hic docente in omni theologico studio nihil quidquam desiderari poterat, exegeta quippe sacrarum literarum incomparabilis, veritatisque divinæ defensor imperterritus, cujus ita per universum orbem fama volitavit, ut vix theologorum quemquam reperias, qui paria cum ipso face-

facere posset. Ex quo vel solo merita in hanc
 Academiam neque unquam satis æstimari, neque
 ad posteritatem condigne prædicari possunt. A-
 viam paternam habuit BARBARAM DOHMAN-
 NIAM, STEPHANI, Jurisconsulti & Advocati
 Oshabrugensis ex fratre DOHMANNO, Juriscon-
 sulto, Politico & Oratore, Reipublicæ hujus, nec
 non civitatum Hanseaticarum Syndico generali, fi-
 liam. Proavus paternus JOACHIMUS est QVI-
 STORPIUS, honestissimi nominis quondam civis,
 cœu & Proavia paterna CATHARINA DUHM-
 RATHS, præclari generis & rarissimarum virtu-
 tum femina. In linea materna Avus erat NICO-
 LAUS SCHARFFENBERGIUS, Juris utriusque
 Doctor, S. R. M. Daniæ & Norvegiæ **CHRI-
 STIANI IV.** Consiliarius, primariusque hujus
 Reipublicæ Consul. Cujus quanta sint in hanc no-
 stram civitatem merita, vel solus, qui ab Augustis-
 simo REGE ei concessus est, officii nominisque
 titulus, arguere potest. Avia materna ANNA
 GAULEN, ex antiqua & nobili GAULIORUM fa-
 milia oriunda, nec non Proavia materna ALHEID
 APPELBAUMS. Quo magis ab hoc seculo hæc fæ-
 minæ, quantumlibet virtutibus ad cœlum usque suo
 tempore exsplendescentes, omnem eam gloriam,
 quam nepotes deinde neptesque in hoc seculo, quan-
 tumlibet maximam eminentissimamque, pepererint,
 iniquo tamen consuetudinis fato, quo magis illæ à
 nostra ætate sunt remotæ, eo profundiore silentio ple-
 rum-

rumque reperiuntur sepulta. Cum viris in promptu sint calami, sint libri, sint magna sæpe volumina, quibus sui nominis memoriam, suaque in publicum merita, ab oblivione vindicare & asserere æternitatis sacrario possint. Habes, LECTOR, Majores QVISTORPIANOS, qui cum vel soli JOANNI NICOLAEO nostro immortale nomen meritaque inestimabilia conciliare possent, ipse tamen tantum iisdem pondus adjecit, ut verbis difficulter exprimere possimus. Id tamen faciendum nobis est, ut, quæ ab ipso in nos posteritatemque nostram promanaverint officia, quantum ægra manu & mente, senili languore fatigante, fieri potest, vel quodammodo exprimamus. Natum hunc JOANNEM NICOLAUM nostrum optimi piissimique Parentes statim baptismi sacris ex more Christianorum admoverunt, ut à congenitis peccatorum sordibus purgatus Christi vexillo infereretur, ejusque aliquando ad morem majorum suorum dignus existeret cultor. Quam in rem & eam adhibuerunt educationis curam, quæ tantorum Parentum pietati conveniebat, quaque eundem dignam tantis majoribus sobolem efficerent. Unde & eo minus spe sua votoque excidere poterant, quo molliorem tenelli filii animum & ad obsequendum carissimis parentibus promptiorem esse experiebantur. Præceptores itaque primos habuit JOANNEM VOLCKNERUM, Pastorem deinde Neo-Brandenburgensem & postea, hoc valedicente, THEODORUM ROLINGIUM, Pastorem Osna-brugensem, privata & domestica studiorum fundamenta

menta feliciter jacentes. Dum vero consultum ju-
 dicatum fuit, ut ad scholam gymnasiumque mit-
 teretur, pulcrioremque intra ordinem imbibendis
 literarum scientiarumque primordiis magis seriam
 adponeret operam, missus à Parente Gustroylum
 est, ut sub ductu M. ANDREÆ GODOFREDI
 AMMONII, scholæ tum Gymnasiique Rectoris,
 veriora studiorum fundamenta poneret. Quod &
 ea ingenii felicitate factum est, ut jam anno ætatis
 septimo & decimo ad Academica studia dignus ju-
 dicaretur. Missus igitur Gryphiswaldiam, quæ
 tum variorum Philosophorum Theologorumque
 celebritate florebat, quorum præcipui tum fuerant
 D. ABRAHAM BATTUS, D. JOANNES MI-
 CHAELIS, D. MATTH. TABBERTUS, L. VOG-
 TIUS, M. DEDEKINDUS & M. PFUELIUS;
 sub his tantis studiorum suorum ducibus intra uni-
 us anni spatium tantos fecit in studiis progressus,
 ut edito publico specimine, proprio Marte conscri-
 pto & argumentum ex Logica, disciplinarum
 omnium instrumento, complectente, sub præsidio
 PFUELIANO (qui vir postea ad ecclesiarum Neo-
 Brandenburgensium in hac ipsa provincia inspecti-
 onem, quam Superintendenturam vocant, transla-
 tus est) cum laude defenderet. Prodebat sese jam eo
 ætatis anno QUISTORPIANI sanguinis vigor,
 ut quid de tanto ingenio in rempublicam literari-
 am sperare liceret, manifesto documento patefi-
 eret. Fundus enim agri sui, quam semel induit,
 indolem, non mutat & quo semel imbuta est ac-
 cepta

cepta à parentibus natura, seipsam denegare, quor-
 sumcunque deveniat, non potest. Reversus ta-
 men in patriam spem innotam concepit, fore, ut
 patri unius anni tam memorabiles profectus non
 comprobaret tantum, sed rudimentis tam egregiis vo-
 luptatem eidem nequaquam exiguam pareret, imo
 ex paternis institutionibus ita proficeret, ut spem
 ille QUISTORPIANI sanguinis, ad maxima quæ-
 vis eluctandi, coram videret & deprehenderet. Sed
 quis divini fati abyssum unquam penetraverit, cu-
 jus dictatum DEUS ipse Prophetæ insinuavit: *meæ*
cogitationes vestrae cogitationes non sunt, neque via mee
sunt via vestra. Ereptus ipsi parens est, cum Aca-
 demia Rectorem gereret, sub ipsum anni sexa-
 gesimi noni finem, quem non familia solum, non
 Academia, non ecclesia, sed ipsa pietas luxit innu-
 meris feriisque lacrymis. Quo vero graviore dolore
 mors paterna QUISTORPIUM percussit, eo seve-
 rius studiis incumbendum esse, ut parentem ali-
 quando referret, non injuria existimavit. Nec
 enim putavit fieri posse, ut in Theologi Rostochi-
 ensis nomen atque officium succederet, nisi pressis
 veterum vestigiis, studiisque suis in id fastigium de-
 ductis, quæ tantis majoribus si non paria, non in-
 digna tamen haberentur. Quare in perpetuis la-
 boribus occupatus id unice noctu diuque pensi ha-
 buit, ut patrum suorum gloriam si non statim ad-
 sequeretur, majorum tamen suorum in iisdem spi-
 ritus nunquam non conspiceretur. Audivit igitur
 indefessa opera illorum æmulatores, AUGUSTUM
 VARE-

VARENIUM, HENRICUM MÜLLERUM & MICHAELEM COBABUM, sub quorum præsidio & disputationes publicas defendit, in ipsorum operibus adhuc hodie comparentes. Semper igitur vivum vegetumque fuit QVISTORPII nostri ingenium, in id unice intentum, ut dignus aliquando majoribus suis successor haberi & judicari posset. Quare & confirmator in studiis redditus anno millesimo sexcentesimo & septuagesimo circa festum Joannis Baptistæ, instituto literario itinere per Marpurgum, Giessam, Francofurtum ad Mœnum, Heidelbergam, Tubingam & Argentoratum invisit, salutatisque ibi Theologis ex conversatione & colloquiis cum ipsis institutis haud parum profecit. Tum vero arrepta nova per Moguntiam & Coloniam profectio in Hollandiam descendit & non modo Ultrajectum & Lugdunum, sed & Amstelodamum, aliasque hujus provinciæ urbes cognitæ sibi reddidit. Cumque consortium & conversationem cum viris eruditis nequaquam vulgare studiis suis præsidium & augmentum adferre animadverteret, reversus in patriam quiescere non poterat, sed anno insequenti, prehensa nova occasione, instituto per mare itinere primo Dantiscum, visendi compellendique causâ gravissimum Theologum, MICHAELEM FALCKIUM, Pastorem ad Catharinæ ædem quondam bene meritissimum, ejusdemque Filios, qui cum QVISTORPIO nostro in materna familiæ profapia unum agnoscunt Avum, JOANNEM QVISTORPIUM I. NATHANAELEM & JOANNEM

B

NEM

NEM & hunc adhuc hodie per DEI gratiam supersti-
tem, eodem sacro ministerio cum summa nominis
gloria fungentem, cujus favori & patrocinio poste-
ritas QVISTORPIANA obnixè se devotèqve com-
mendat, sese contulit. Nec tamen hic excursus in
Dantiscana ecclesia atqve Republica visenda acqui-
escebat, sed exactis tribus mensibus Regiomontanae
Academiae civis factus est, ibiqve per integrum &
quod excurrit annum studia sua ad majorem gra-
dum summa fide & industria provexit. Quinimo
domum rediturus, arrepta per mare occasione ad
Havniam quoque appulit, celeberrimamq; hanc in
ipsa Dania Regia Academiam, compellendo incly-
tos ejus doctores, notam sibi reddidit studiisque suis
fructuosam. Ubiqve nempe sedulae curiosaeqve
apis ad instar mellistuum verae eruditionis succum ex
diversorum doctorum floribus ad conficienda scien-
tia Theologicae mella colligere noverat & in noti-
tia suae atqve sacrationis eruditionis alveos, patriae
aliqquando & ecclesiae profuturos, digessit. Ita ac-
quisito verae uberrimaeqve doctrinae thesauro do-
mum reversus, non ignarus, docendo quam di-
scendo uberiores variarum rerum scientiam acquiri,
quid in peregrinationibus suis didicerit, quam opti-
marum utilissimarumqve rerum copiam sibi com-
paraverit, ut studiosae juventuti communicaret,
privata eam in rem habendi collegia ut impetraret,
licentia à superioribus expetita & obtenta, cum sin-
gulari applausu & utilitate omnem adhibuit curam,
industriamqve indefessam adposuit. Cumque non
minus

minus & in homileticis exercitationibus juventuti
 Theologicæ viam & præiret & ostenderet, eoqve
 famam sibi non vulgarem conciliaret, factum di-
 vino consilio & providentiâ est, ut ab hujus urbis
 proceribus, ipso etiam QVISTORPIANO nomine
 meritisqve permotis, ad ecclesiæ Nicolaitanæ Dia-
 conatum vocaretur. Erant hæ fructuum ex pere-
 grinatione collectorum redundantes ad ecclesiam,
 quasi primitiæ, quas cum per integrum sexennium
 exercendo probe probeqve excoluisset, visum ei
 Deo providente fuit, ad propiora Majorum suorum
 instituta accedere, quendamqve in Theologia ho-
 noris gradum expetere. Cumqve in Academia
 Gryphiswaldensi primos eruditionis suæ gradus fru-
 ctusqve olim collegisset, veterum præceptorum me-
 mor honorum quoqve ab iisdem suavitate ambi-
 re apud animum suum constituit. Factum id anno
 millesimo sexcentesimo octogesimo secundo eximio
 successu. Exantlato enim examine rigorofo habi-
 tisqve in Jobi caput decimum nonum, versum vi-
 gesimum & quintum Lectionibus cursoriis Inaugu-
 ralem disputationem, cujus argumentum fuerat de
sanctissima & omni tempore sufficientissima Christi sa-
tisfactione, Præside ac Promotore D. AUGUSTINO
 BALTHASARE, tum temporis primario Theologiæ
 Professore, SSæ. Theologiæ Licentiatus publice so-
 lenniterqve renunciatus est. Non existimavit QVI-
 STORPIUS nomini suo conveniens esse, ut in otio
 tenebrisqve honores gereret, sed patrum suorum
 exemplo incitatus parem cum illis animum paremq;

in illo eruditionem, imo parem ecclesiam & Academiam ædificandi exornandique mentem indueret, unde & variis exactisque ingenii sui speciminibus in publicum prodiit. Disputavit enim Præses de Bellarmini in ecclesiam notis non notis, anno clō 1643. De principio Theologiae cognoscendi unico, anno clō 1644. De privata confessione, anno clō 1645. De penitentia, anno clō 1646. De quæstione, an peccatum originale formaliter sit mere privativum, an positivum simul? anno eodem. De arcanis status in religione Muhammedana, eodem anno. De Jubilæis, eodem pariter anno. Anno clō 1647, a Diaconatu ad Pastoratum ecclesiæ Nicolaitanæ in locum B. M. REMBERTI SANDHAGENII rite recteque vocatus officium hoc ad extremam mortis suæ horam tanta fide tantaque diligentia, etiam in mediis corporis sui sub vitæ finem infirmitatibus administravit, ut inexhaustum Viri laborem devoratasque molestias non sine admiratione & stupore Nicolaitani auditores intuerentur. Accessit anno clō 1648, die V. Octobris Decano & Promotore, simulque Pro-Cancellario, D. JUSTO CHRISTOPHORO SCHOMERO, (quem Theologum cum nominaveris, exactæ miraculosæque in omni parte doctrinæ compendium dixeris) in solennissimo promotionis actu ultimus Theologiae gradus, quem Doctoratum vocamus. Quem ne & ipsum frustra gestaret, exercitia disputatoria publica omnium cum applausu continuavit. Emanarunt

runt hinc in publicum Disputationes: De Idea studiose Theologiæ, anno clō 1613. De bonis operibus, anno clō 1614. De certitudine salutis nostræ, anno clō 1615. De cœnæ Dominicæ eminentia, anno eodem. De migratione Clericorum, anno clō 1616. De sororibus dilectis & subintroductis, anno clō 1617. Successit anno clō 1618. Professio Theologiæ ordinaria in locum B. D. MICHAELIS COBABI ipsi demandata, quam non minus exquisitis eruditionis suæ speciminibus exornavit. Prodierunt enim Quinque Disputationum Aphorismi, universam Theologiam complectentes, Respondente ac auctore M PETRO BECKERO, hodie Mathematicum Professore, ut & Archi-Diacono Jacobæo, Viro de Academia & ecclesia nostra præclarissime merito, anno clō 1619. De absoluta renatorum ἀναπαύσις, errore illo recenti Dissertatio, anno clō 1620. Porro Theses super universam Theologiam, sex plagulis comprehensæ; quas diebus Mercurii horis pomeridianis in auditorio Majori annis clō 1621. & clō 1622. Disputationibus xxxvi. & Respondentibus xix. ventilandas exhibuit, easque deinde auctas privatæ disquisitioni sæpissime subjecit. Sequuntur quæstiones Theologi incomparabilis, D. JOHANNIS GEORGII DORSCHER in primam & secundam Joannis epistolam, anno clō 1623. Collegium Disputatorium publicum, exhibens Theses ex universa Theologia selectas atque a Respondentibus conscriptas, anno clō 1624. Disputatio de Christo,

sto, unica salutis nostræ spe, Respondente ALBERTO JOACHIMO de KRAKEVITZ, Theologo nunc nostrate celeberrimo & Academia immortalis, ô utinam, ornamento, eodem anno. De fide infantum contra Calvinianos, Respondente & auctore GEORGIO FRIDERICO NIEHENCKIO, nunc Theologiae Doctore, Pastore Primario & Consistorii Regii Gothoburgensis Adfessore, de singulis his officiis optime merito, anno clc. De verbis hymni passionis: *Gott selbst liegt todt* / Respondente & auctore M. JUSTO WESSELO RUMPÆO, hodie Theologiae Doctore & Archi-Gymnasii Sufatensis in Westphalia Rectore, Viro orthodoxo & cordato, anno clc lccii. De vindicta vitanda, ex Rom. XII. 19. Respondente GEORGIO MONRADIO, anno clc lcciv. De Lutheranismi defensione contra JOANNEM SATTELSDORFFIUM, Dissertationes II. Respondente & auctore IMMANUELE KUHNIÖ, Gedani postea in patria Scholastico officio admoto quidem, sed mox peste extincto, anno eodem. De quaestione: an absolutio ministri ecclesiae nuda tantum sit declaratio, an vero actualis peccatorum remissio? Respondente HENRICO LANGIO, Verbi nunc in Ducatu nostro Divini Ministri, anno clc lccv. De sacerdotio fidelium novi Testamenti spirituali, Respondente BARTHOLOMÆO DEPKIN, Rigæ Livonorum hodie ad D. Petri ædem Diacono, anno clc lccvi. Quaestiones ex loco de baptismo, Respondente JOANNE LOHN

LOHMANNO, Pastore nunc in Ducatu Mecklenburgico, anno clō 16ccvii. De peccato in Spiritum Sanctum, Respondente & auctore M. MICHAELE LILIENTHAL, Bibliothecario jam in Patria Regiomontano & Academia scientiarum Regiæ Bero-
 linensis socio, anno clō 16ccix. De agapis, Respon-
 dente HENRICO CHRISTOPHORO POLTZIO,
 Sororis beati nostri germanæ filio, anno clō 16ccxi.
 Thesum rejectarum Pontificiarum quaternarius,
 Respondente NATHANAELE GODOFREDO
 FALCKIO, Pastore jam Dantisci in patria præ-
 clare merente, eodem anno. De seductoribus,
 sub extrema seculi mundum seducentibus, Respon-
 dente JOANNE ANDREA HABEL, anno
 clō 16ccxii. De nonnullis scripturæ affectionibus,
 Respondente DANIELE MANNIO, anno clō
 16ccxiv. Ut innumera propemodum, quæ officii
 causa consignavit, Programmata, festis cum pri-
 mis diebus proposita, geniumque & sanctitatem an-
 tiqui ævi spirantia, taceamus. Quibus omnibus
 ultimo accedent, si Deo visum fuerit, Annotationes
 Biblicæ JOANNIS QVISTORPII Avi, multis in locis
 auctæ, quas, si Deus vitam concessisset, prelo parandas
 elaborasset. Recensui hæctenus labores scriptaque
 publica a QVISTORPIO nostro in toto officii sui
 Professorii cursu elaborata, forasque edita, eo qui-
 dem ordine, quo a Viri hæredibus mihi sunt sug-
 gesta. Sed longe plura sunt, quæ, cum ad me-
 rita nostri pertineant, subtrahenda non forent, si
 eorum notitiam intra tantillum, quo constringor,
 tem.

temporis spatium, consequi possem. Quæ tamen ex publicis sive Academiae nostræ, sive Facultatis Theologicæ documentis qualicunque studio nancisci possum, immortalis Theologi honori velificando, silentio præterire nolo. Receptus igitur est in Facultatis Theologicæ Collegium anno cl^o lccxciv. die VII. Aprilis. Decanatum postea XII. es gessit, in eoque sæpius Doctores & Licentiatos creavit. Qua prudentia Responsa a Facultate expetita conceperit, libri Facultatis ubertim copioseque loquuntur. Quod ad reliquas QUISTORPII nostri functiones attinet, post abitum D. FRANCISCI WOLFFII, Hamburgensium postea Theologi inclyti, Reverendi Ministerii Directorium, quo & conspicuus ejus Parens fuit, postea vero anno cl^o lcccm. Superintendentis titulus ei collatus est, quem honorem cum beato avo habuit communem. Hunc suum præsidem non amore tantum, sed & veneratione profecutus est. Ministrorum ordo, qui tam cano jam capite, ex quo nonnisi quod senili prudentia instructum & cum summa humanitate conjunctum fuit, profluere poterat, Deo rebus nostris irato, orbari, non tam lacrymis, quam fletuum rivis deplorat. Acceperant omnia fere Ministerii membra, quin & ad exteriora officia promoti, qui supra a nobis laudatus est, D. NIEHENKIUS, itemque MANNIUS ille, de quo itidem paulo ante, haud ita pridem ad officium in patriam, quæ Elbinga est, ecclesiasticum vocatus, sacra ordinationis ab eo ritum, plerique omnes Præceptorem quondam

dam audiverant, senectutem & experientiam Viri
 suspexerant, amorem ejus & affectum plusquam pa-
 ternum millies senserant. Quibus omnibus cum
 nunc destituantur, luctu propemodum omnes colli-
 quescunt. Quid nos de Te dicemus, QVISTOR-
 PI, qui in Academia docemus, qui in Collegiis late-
 ri Tuo assedimus, qui divina in Te collata munera
 ipso opere gustavimus, qui nunc donis a DEO Tibi
 concessis carere cogimur, quique de cætero eo vari-
 arum calamitatum bellorumque nimbo quasi oppri-
 mimur, qui coram oculis humanis, nisi supremum
 optimumque in cælis Numen nostri misereatur, in-
 superabilis esse videtur. O nos, Te orbati, mise-
 ros! O spe omni & solamine destitutos! Lingua
 mihi, mensque extra semetipsam constituta est,
 sui compos non est, solatium non videt, auxilium
 non sperat. O QVISTORPI, si me audis, si su-
 spiria mea, si fletus mei, si desideria mea deferri ad
 aures Tuas possunt, seniles Tuas pro nobis ad Deum
 funde preces. Perijmus enim, perijmus, nisi DEUS
 ex machina. Superest, ut & de QVISTORPII nostri
 conjugii liberisque quidpiam dicamus. Primam
 uxorem anno dco MDCCLXXVII. initio ejus illucescente,
 duxit MARGARETHAM ELISABETHAM, vir-
 ginem, in qua corporis pulcritudo cum rarissimis
 animi dotibus contendebat. Cujus parens fuerat
 DANIEL BERKAV, judicii primum provincialis
 Mecklenburgici, dein Civitatis Rostochiensis Proto-
 notarius, quem in Programmate funebri HENRI-
 CUS MULLERUS, Theologus nostras per to-
 tum orbem celebris, *tam præclaris eximisque dotibus*
 C *instru-*

instructum appellat, ut vulgare in ipso nihil, nihil protri-
sum videretur. Quæ dotes quod & in filiam profu-
 xerint, totius familiæ gubernatio atque educatio li-
 berorum ipso sensu demonstrabat. Nati sunt ex
 eadem JOANNES DANIEL, JOANNES NI-
 COLAUS, DANIEL, GEORGIUS DANIEL,
 LAURENTIUS GODOFREDUS, ultimoque
 partu gemelli, iidemque pariter masculi, ex qui-
 bus alter suadente necessitate ab ipso parente bap-
 tizatus, alter vero a tum temporis Diacono, M. GO-
 DOFREDO WEISSIO, Theologiæ dehinc Do-
 ctore & ecclesiarum Lüneburgensium Superinten-
 dente, sacramento initiatus est, uterque vero, acce-
 pto sacro ritu, statim iterum denati. Sed & reliqui
 omnes, Deo ita disponente, duobus exceptis, vivis ex-
 empti sunt. Soli nempe supersunt JOANNES NI-
 COLAUS, Philosophiæ Magister, præclaris jamdiu
 dotibus celebris, qui ut aliquando QVISTORPIANI
 nominis, tam diu in hac Academia & ecclesia perra-
 ro exemplo celebrati, fulgorem ex infelici nunc pul-
 vere denuo excitet, inque futuri seculi gloriam pro-
 paget, omni vi votoque optamus; & LAURENTI-
 US GODOFREDUS, qui initio quidem Juridico
 se studio addixerat, deinde vero divina providentia
 ita moderante, annuentibusque parentibus, merca-
 turæ operam suam adposuit, inque illa per tot hujus
 gratia susceptas, perque Galliam, Bataviam &
 Daniam peractas peregrinationes, haudquaquam
 vulgarem sibi acquisivit notitiam, usque dum ex
 Dania nuper admodum redux Nobilissimæ omni-
 um virtutum genere virgini, ANNÆ MARIE,

JA:

JACOBI BERGII, primarii hic mercatoris filia per publica sponsalia sese addixit. Quod foedus, per matrimonium mox consummandum, ut felix faustumque ex omni parte perduret, seriis a summo Numine precibus contendimus. Sed & filia ex primo hoc conjugio progenita secunda adversaque fortuna usae sunt. Nam SOPHIA CATHARINA in ipso flore juventae decessit; CATHARINA SOPHIA Theologo nullis unquam laudibus satis celebrando, ZACHARIAE GRAPIO, nuptum collocata, filium eidem, JOANNEM SAMUELEM, studiis pariter dicatum, progenuit, postea vero & ipsa praepropero fato abrepta est. BARBARA autem MARGARETHA WALTHERO STEINIO, mercatori celebri atque Aedis Nicolaitanae ephoro in matrimonium data una cum nato ex eadem nepote JOANNE LUCA praematura pariter hinc morte assumpta est. Decesserat vero jam antea ex sinu QVISTORPIANO prima uxor, MARGARETHA ELISABETHA BERKOVIA, consumptoque iusto luctus tempore ad secunda QVISTORPIUS noster transiit vota & anno. cl. lxxcv. in viduitatis solatium conjugio sibi junxit virginem virtutum omnium complexu illustrem, viduam nunc luctuosissimam, omni laude nostra majorem, ANNAM CHRISTINAM, HUGONIS LENTEN, Consiliarii quondam Sacrae Regiae Majestatis Danicae ac supremi per Holsatiam Regalem Secretarii filiam, ex qua suscepit HUGONEM, JOANNEM ZACHARIAM, jam pridem sanctis coelitis per beatam mortem associatos, HUGONEM item THEODORUM, quera

quem maxima spes est ad nominis paterni decus olim
 resurrecturum esse, nec non filiam, cunctis, quæ vir-
 ginem ornant, dotibus, instructam, ANNAM CHRIS-
 TINAM. Habes, o Lector, familiæ QVISTORPI-
 ANÆ, quam reliquit, faciem! O utinam stellæ ex
 eadem posthac orirentur tanto nomine dignæ! Quid
 enim æquius est, quam nomen tam illustre, tam au-
 gustum, solemque tam diu toti orbi lucentem non
 interire culpa nostra, sed ad seram posteritatem
 propagari? Surgite igitur, quotquot adhuc nominis
 QVISTORPIANI participes superestis, induite ani-
 mum, majoribus vestris convenientem. Non pa-
 tiamini, tantam nominis vestri gloriam in vobis eva-
 nescere. Interest Theologiæ nostræ. Interest toti-
 us rei literariæ. Promisit equidem mihi hoc accepto
 a me chirographo HUGO THEODORUS. Ne de
 QVISTORPII nostri Homonymo, qui & ingenio &
 viribus valet; quidquam dicam. Expendite totius
 de vobis mundi iudicium, si quidquam officii Ve-
 stri neglexeritis. Deum metuite hinc vindicem,
 econtra eum habebitis non adjuvantem tantum, sed
 & adplaudentem, si; quod summa æquitas postulat,
 feceritis. Quantum hic impetus incomparabili fæ-
 minæ, Matri vestræ, quæ omnem jam gloriam su-
 pergressa est, gaudii solatiique procreabit! Latabitur
 quoque de eo totus sanguis Vester, tota civitas no-
 stra, tota ecclesia. Devolvor nunc tremebundo
 calamo ad extrema QVISTORPII nostri. Unus al-
 terque annus est, ex quo robustum & quasi heroi-
 cum viri corpus qualecunque masculinarum virium
 decrementum perlentiscere cœpit, quæ intra exigu-
 um

tum temporis spatium magis magisque collapsæ ea sum-
 pserunt augmenta, ut sine quodam sustentaculo non-
 nunquam vix incedere posset. Non tamen videbatur
 in obeundis officiorum partibus, ipsaque vocis & allos-
 cutionis gravitate quidquam detritum esse. Virum,
 ut semper, gravem & magnificum præferebat. Sacra
 & negotia animo nunquam turbato, nunquam defi-
 ciente administrabat. Inæstimabilis ideo fuerat spes
 nostra. Sed ô fata in nos acerba. Vix pauculæ sunt
 septimanæ, cum ad me lecto decumbentem accederet
 & priusquam in sella consistere cœpisset, virium infir-
 mitate præreptus in terram propemodum, nisi sella
 proxima fuisset, cecidisset. Facile judicare poteram,
 quod malum corpori QUISTORPIANO insidiaretur,
 inprimis cum & narratum mihi fuisset, eundem sub
 finem mensis Julii, cum in privatis scholis historiam
 ecclesiasticam auditoribus suis exponeret, ejusdem
 morbi impetum acerbe sensisse, ut ante finitam horam
 abrumpere lectionem & ire cubitum necesse haberet.
 Quamquam vero per nocturnam quietem qualescunque
 reparaverit vires, ut lectū relinquere potuerit, hæ tamen
 nullo modo sufficientes fuerant, ut solitarie absq; ullo
 adjumento ire & circumambulare potens fuerit. Quem
 admodum etiam, ne actibus Ministerialibus, suæ fidei
 concreditis, aliquid deesset, se tamen (licet anxia de
 salute mariti Conjux cum liberis apud eum, ne domo
 exiret, precibus constanter instaret) per ædituum ad
 Reverendi Ministerii confessum duci se passus est. Qui
 vero conatus languidam adhuc debilemque eundi fa-
 cultatem ita consumpsit, ut præter spem ad repetendam
 domum vehiculo uti coactus fuerit. Quo & factum


est, ut morbi periculo monitus Medici consilium imploraret. Quamquam vero in ipso languore suo sacra negotia, privatam confessionem & absolutionem domi primum administraverit, facile tamen sentiens majori semper incremento morbi vires eundem prosternere, die VI. Augusti ad Deum sese convertit, utque ad beatam analysin se præpararet, accersito Collega, Viro maxime Reverendo & Excellentissimo, M. JACOBO BURGMANNO, Græcæ Literaturæ Professore & Ecclesiaste, extremo se ad cœleste iter viatico, præmissa peccatorum confessione, instrui & fecit & impetravit. Ex quo die in dulcissimum somnum prolapsus, quicquid supererat adhuc vitæ, maximam partem in eodem consumpsit, ut tandem non tantum mortuus esse, quam perpetuo sopore recreari, inque eo spiritum amittere videretur. Unde & quæsitus, quomodo sese haberet, hac nervosa piaque responsione adstantes dimisit: *Gott verführet mit mir sauberlich.* Decessit anno ætatis LXV. Officii ecclesiastici XXXIX, Professorii muneris XXII. Superintendententuræ XII. Audiendum nunc est Excellentissimi felicissimique, quem omnes merito amant atque suspiciunt, Medici, D. JOANNIS LUDOVICI SCHAPERI, de QVISTORPII morbo judicium: *Quod morbum B. nostri attinet, tentabatur ille die 25. Jul. cephalalgia, anxietatibus præcordiorum, levique horripilatione & succedente tandem insigni vertigine per aliquod temporis spatium, antequam me vocari jussisset, quamvis sub se, quæ ager nitebatur, certissima, morbum huncce mox a rigore suo esse remissurum. Sed instabat pertinax ægritudinis hujus malum, optimeque sperantis fiduciam dolendum in modum illudebat. Nunc B. nosser mea, desiderans consilia*

consilia sub primo statim accessu conquerebatur. de ver-
 tiginē, torpore ingenii, astu satis magno cum appetitu prostra-
 to, sapore in ore amaricante, quibus symptomatibus succe-
 debat tandem spasmus capitis insignis. Et cum ex relatio-
 ni his circumstantiis intelligerem, recidisse eum in pristinum
 morbum, quo quadriennio circiter elapso per aliquot septi-
 manas quidem conflictatus, per Dei gratiam tamen consilii Pe-
 trui mei tandem liberatus fuerat, verebar statim, ne de vita sua
 periclitaretur ager, quia omnes recidiva, in primis in hoc mor-
 bi genere, periculosa existunt, nihilominus omnem, quam po-
 teram, dabam operam, ut huic morbo recidivo convenienti-
 bus remediis resisterem & quantum remediis eniti possem, di-
 vino illum succurrente auxilio exturbarem. Initio etiam huic
 meo subsidio non levia restitutionis a recidiva indicia felici-
 ter respondebant, verum inconstantia illa ex nervorum de-
 bilitate reddita & per nuperam recidivam graviter adau-
 cta, restituenda sanitatis spem non modo ancipitem relinquebant,
 sed convulsionibus etiam supervenientibus, iisque continuis
 illam, quae adhuc supererat, plane irritam reddebant. Et quam-
 quam convulsiones ista perpetua velut prodromi mortis pro-
 xima haud fallaces constanter respuerent medicamenta fide-
 liter adhibita & quidem ita, ut nullus inde ex voto communi
 sequeretur effectus, ad debellandum tamen hunc adversa-
 rium Vir Pranobilissimus, Excellentissimus ac Experientissimus
 Dns. D. GEORGIUS DETHARDINGIUS, Professor Medicinae
 & Anatomia in hac Alma longe celeberrimus, Factor & stimatissi-
 mus, non de lassam mecum consilium auxiliumque in B. nostram
 ea, quae par fuit, integritate contulit. Sed praevaluerunt arte
 nostra medica in B. collata motus isti convulsivi & accedente
 tandem, quem carus mox excipiebat, lethargo, viribus B.
 nostrum gradatim exnerunt omnibus & hac ratione morbi
 prob


proh dolor! non sine tristissima totius splendidissima familia, Academiæ & ecclesie jactura die 9. Augusti tradiderunt. In tanto igitur tamque luctuoso QVISTORPII nostri obitu, ut æternum Numen, fons & scaturigo omnis solaminis, relictam inprimis Viduam, excellentissimarum virtutum compendium una cum lectissima Liberorum corona, Fratres quoque, THEODORUM, Senatorem civitatis nostræ amplissimum & BERNARDUM, Pharmacopœum percelebrem, sororem item POLZIAM, Matronam laudatissimam, cæterosque QVISTORPIANI nominis cultores, omni solatiorum genere perfundat, doloremq; ex tanto funere conceptum mitiget, ex toto pectore precamur. Vos vero, ô cives, qui, quæcunque de communi Vestro præceptore, deque viro immenso raroque meritorum confluxu celebrato disserui, veritati congrua esse universa non ignoratis, hoc officium Viduæ, Liberisque omnibus reddite, ut, quod unicum superest, corpus QVISTORPII, heu quondam nostri! ad tumbam usque ea frequentia deducatis, quæ animum in Vobis Christianum & tantorum meritorum memorem omnibus inspectantibus contestetur, laudemque vobis observati erga nomen QVISTORPIANUM officii cum omnium applausu conciliet.

**P. P. Sub Sigillo Facult. Rostoch.
d. III. Sept. A. O. R. clō Icccxy.**

*Convenietur in æde D. Nicolao sacra
post horam primam.*



in illo eruditionem, imo parem ecclesiam aedificandi exornandique unde & variis exactisque ingenibus in publicum prodiit. De Praefes de Bellarmini in ecclesiasticis, anno clō lōclxxxii. De prologia cognoscendi unico, anno clō privata confessione, anno clō lōclxxxv. De penitentia, anno clō lōclxxxv. De peccatum originale formaliter sit an positivum simul? anno eodem. in religione Muhammedana, eodem bilais, eodem pariter anno. Anno a Diaconatu ad Pastorum ecclesiae locum B. M. REMBERTI SANDI recteque vocatus officium hoc ad eius suae horam tanta fide tantaque diligentiis mediis corporis sui sub vitae finem administravit, ut inexhaustum voratasque molestias non sine ad tempore Nicolaitani auditores intueri anno clō lōclxxxvi. die V. Octobris motore, simulque Pro-Cancellario CHRISTOPHORO SCHOMERO logum cum nominaveris, exactae in omni parte doctrinae compendii solennissimo promotionis actu ultimi gradus, quem Doctoratum vocamus & ipsum frustra gestaret, exercitia publica omnium cum applausu contin-



runt hinc in publicum Disputationes: De Idea stu-
 diofi Theologiae, anno clō 16CLXXXVI. De bonis
 operibus, anno clō 16CLXXXVIII. De certitudine sa-
 lutis nostrae, anno clō 16CLXXXIX. De coenae Do-
 minicae eminentia, anno eodem. De migratio-
 ne Clericorum, anno clō 16CX. De sororibus di-
 lectis & subintelligendis, anno clō 16CXII. Succes-
 sit anno clō 16CXIII. Theologiae ordina-
 ria in COBABI ipsi
 dequisitis eruditi-
 odierunt enim
 , universam
 te ac aucto-
 rithematum
 Viro de
 merito,
 am ἀναμνη-
 , anno clō 16CXV.
 in Theologiam, lex
 quas diebus Mercurii horis
 torio Majori annis clō 16CXV.
 putationibus xxxvi. & Responden-
 tibus xii. utilitas exhibuit, easque deinde auctas
 privatae disquisitioni saepissime subjecit. Sequuntur
 quaestiones Theologi incomparabilis, D. JOHANNIS
 GEORGII DORSCHER in primam & secundam
 Joannis epistolam, anno clō 16CXVII. Collegium
 Disputatorium publicum, exhibens Theses ex uni-
 versa Theologia selectas atque a Respondentibus
 conscriptas, anno clō 16CXVIII. Disputatio de Chri-
 sto,

B 3

